



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi  
Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ  
Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque  
Ecclesiæ Præcepta**

**Tamburini, Tommaso**

**Dilingæ, 1697**

Caput XX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40032**

unde utraque est eadem species peccati contra Religionem: hinc si occidisti hominem putans culpabiliter esse *femam*, vel eundem occidisti cognoscens, esse hominem, potes sic fateri: *occidi hominem*, & sic in similibus.

3. Non dissimili modo, si Titius v. g. putat, aliquid esse peccatum, quod certe peccatum non est (quo pacto dicitur habere conscientiam erroneam) & illud committit, contrahit speciem peccati, quam putat: quare si putat, hodie esse vigiliam, illamque nihilominus non servat, peccat mortaliter ex conscientia erronea. Pari modo si Caius v. g. lecit hodie esse vigiliam, quæ recipia est, illamque non servat, certè, ut ex se patet, peccat mortaliter contra præceptum à se cognitum; sed dico, utrumque tum Titium, tum Cajum sic legitimè confiteri posse; *Violavi preceptum Jejunij, seu in vigilia de precepto non jejunavi.* Ratio est jam insinuata, quia peccatum, quod existimat tale, & peccatum, quod est tale, non differunt specie moralis, cum ex intentione operantis voluntas feratur in idem objectum.

4. Estamen notandum, in tribus casibus ignorantiam, vel conscientiam erroneam esse declarandam.

Primò, quando videndum est, an ob ignorantiam ponatur quis in proximo periculo peccandi: ut si quis copuletur v. g. fœminæ nolens scire, vel scire culpabiliter nolit, an ea uxorata sit, an monialis &c. quia tunc ponit se in periculo committendi adulterium, vel sacrilegium &c.

Secundò, quando cognosci debet; an peccatum sit excommunicatione, vel centura, vel reservatione affectum; hæ siquidem sunt compositæ delictis, quæ in se talia sunt: quare si tu putas, Petrum esse clericum, cum ipse clericus non sit, peccasti quidem, si illum, suadente diabolo, percussisti, sed tamen in excommunicationem non incedisti.

3. Tertiò, aperienda est conscientia erronea, quando Confessor cognoscere debet tuum ipsum peccatum: si enim tu puer putans esse hodie diem jejunij, non jejunasti, fatearis autem hoc modo: *Jejunium in die vigilia non servavi Confessor*, qui te puerum esse videt, judicabit, te non peccasse, quia puer ad jejunium ab Ecclesia non obligatur: dicas igitur in hunc terè modum: *Cum putasse, me obligatum ad servandam vigiliam, illam tamen non observavi.*

## CAPUT XX.

### Secreta.

1. **Q**uid Confessio secreta esse debet ex parte Confessoris, res est nota nimis, & infra suo loco magis explicabitur: An autem ex parte pœnitentis obligetur hic Confessionem suam secretè apud Confessarium deponere, diximus supra satis cap. 4. à numer. 14. cum loqueremur de Confessione per interpretem,

CA-